



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 307. In quibus è contra contractibus evectio locum habeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

potius in pœnam delicti commissi in tali emptione, ut Castrop. quin nec pretium nondum solutum retinere, saltem post latam sententiam; sed in foro conscientie ante Judicis declarationem, ut Castrop. Neque hic facienda distinctio inter emptionem rei prorsus alienæ, & rei non alienæ quidem, sed alteri obnoxia; v.g. ex fideicommissio obnoxia restitutioni, ut in hoc casu emptor agere possit ad pretium, ut Cov. referens alios; cum *cit. l. si fundum*. expressè loquatur tam de re prorsus aliena, quam tantum obnoxia alteri. Cui qualiter non contradicat *l. fin. C. commun. de legat.* vide apud Castrop. *num. 17.* ubi etiam, quod generalitatem *cit. l. si fundum*. admittenda non sit limitatio; nimirum, quod ubi pretium receptum à venditore conversum est in ejus utilitatem possit agere emptor de restitutione illius. Porro nequaquam ex dictis inferendum, venditorem posse pretium illud in specie de æquivalente retinere, cum nullus sit titulus, sed in foro conscientie reddendum emptori, in foro verò externo adjudicandum fisco, ut Castrop. *n. 18.*

9. Nonus: si emptor per vim expellatur à rei venditæ possessione, etiam dum venditor de evictione stipulatus fuisset, aut promississet emptorem defendere de jure & de facto. *l. fin. de. act. empti.* cum illa promissio defensio intelligi debeat, ubi ea

est possibilis, & res justè; non autem injustè evincitur. Gomez. *loc. cit. n. 42.* Castrop. *l. c. n. 19.*

10. Decimus: dum emptor ex mandato Principis cogitur vendere, aut alio contractu oneroso tradere rem venditam; tum quia tunc videtur res evicta per casum fortuitum in quo cessat evictio juxta *l. Lucius. ff. de evict.* tum quia non evincitur ob defectum, quem res à venditore accepit, quemque propterea is reparare non tenetur. Gomez. *cit. num. 41.* Castrop. *num. 14.* qui idem ob easdem causas, dicunt de casu, quò res evincitur per viam retractus. Item dum res speciali jure; v.g. beneficio restitutionis in integrum evinceretur; nisi tamen in eo casu promissa à venditore præstatio evictionis. Gomez. *n. 42.* Castrop. *n. 15.* agi tamen tunc potest ad pretii restitutionem, ut iidem.

Quest. 307. In quibus è contra contractibus evictio locum habeat?

Resp. non tantum in contractu emptionis & venditionis, sed in quolibet contractu oneroso, etsi evictio promissa non sit; cum ex ipsismet illis contractibus ea nascatur. *l. libera. C. de sent. & interlocut. omni. jud.* qualiter verò in specie respectu singulorum locum habeat, dicitur, ubi de lingulis in specie contractibus dicitur. vide tantisper Castrop. *rr. 33. d. 5. p. 28. f. 1.*

CAPUT SEXTUM.

De aliis Effectibus Emptionis & Venditionis, ubi de periculo & commodo Rei venditæ, de Actionibus Empti.

Quest. 308. Periculum rei venditæ Venditione perfecta num spectet ad Emptorem, an verò ad venditorem?

Resp. Venditione rei certæ & determinatæ facta ad corpus perfectæ, nimirum consensu utrimque purè & absolute prædito, periculum. (quo nomine hic venit casus fortuitus circa rem venditam contingens, quo ea vel in totum vel pro parte perit vel destruitur, tum ab intrinseco, puta ob morbum aliudve vitium in ipsa re ex causis intrinsecis ortum; tum ab extrinseco; v.g. per incendium, inundationem, injultam ablationem citra culpam venditoris. Struv. *ad ff. de peric. & commod. rei venditæ. th. 95*) etiam ante pretium annumeratum & traditionem rei, sive, antequam dominium in emptorem translatum, regulariter spectat ad emptorem, seu res perit vel deterioratur emptori, ita ut non obstante illo interitu vel deterioratione rei, is integrum pretium, si fortè nondum solverit, solvere teneatur. §. *cum autem. Inst. h. t. junctâ Gloss. l. quod saepe. §. si res ff. de contrah. empt. l. necessariò. ff. de peric. & commod. l. 1. & seq. C. eod. Molin. de 7. & 7. l. 2. d. 366. num. 11. Less. l. 2. c. 21. du. 12. n. 96. de Lugo. de 7. & 7. d. 26. n. 216. Pirh. h. t. num. 49.* Ratio siquidem æquitatis postulat, ut qui sentit commodum, periculum quoque subire debeat. *l. 10. ff. de reg. jur. emptor autem perfecta venditione statim sentit commodum, ut dictum supra, & dicitur amplius paulò post. Rationem à R. P. Leur. jur. Can. Lib. III.*

priore aliqui cum Grotio *de jur. bell. & pac. l. 2. c. 12. num. 15.* petunt ex eo, quòd per fictionem juris dominium rei venditæ transeat ad emptorem juxta illud. *l. 15. de reg. jur. actionem habens ad rem, rem ipsam habere videtur.* Quod ipsum impugnant alii. Muller. *ad Struv. l. c. th. 97. Lit. 9.* & maxime Hahn *ad Wesenbec. tit. eod. num. 1.* eo quòd istiusmodi legalis transitus domini sine traditione sit contra mentem Imperatoris in *cit. §. 3. Inst. h. t.* & nequaquam asserendus, nisi ubi lex ita statuit; hoc autem nullibi à lege statutum reperitur in præsentè casu. Unde Muller, Hahn, *LL. cit. Lauterb. ad ff. cit. tit. §. 2.* independentè à tali fictione melius ex eo rationem petere videntur; quòd licet venditione perfecta ante traditionem dominium nullum sit penes emptorem, is tamen statim jus habeat ad rem petendam, & venditor obligationem ad hanc in specie rem ei tradendam, ac ita emptor constituatur creditor, qui rem à venditore pro libitu avocare potest, & venditor debitor. Quapropter hic casuali rei interitu liberetur, & res emptori tanquam ejus creditori in effectu perit. *l. 23. ff. de V. O.* Unde etiam facillè responderetur ad illud *l. 9. C. de pignor. act.* res perit domino suo; admitiendo id verum esse, nisi dominus rei simul sit debitor. Adde, quòd iniquum sit, damnum esse venditoris existentis extra culpam, & semper parati rem soluto pretio tradere, dum emptor ubi potest, eam ab illo non avocat, & ita ea apud venditorem perit. His tamen non obstantibus nil vetat dicere

B b

rem